

Letter 283: 7 April [1526], Strasbourg, Capito to Nikolaus Prugner

Printed in TB IV, 62.

Gratiam et pacem, charissime in Domino.

5 Vehementer oro, ne istinc per has ferias pedem dimoveas, quo populus videat animum
tibi ad ecclesiam Dei et suam civitatem superesse. Quod negotii agendum animo constituisti, alio
tempore peragere potes, aequa commoditate et cum minore ecclesiae incommodo. An tibi aliquis
hinc submittetur nondum scio. Decumbo ego levi febricula et aliqua tussi, quo minus his rebus
attendere valui. Atqui scripsi Bucero, quid fiat autem perendie scies. Fratres nostros Milhusanos
diligenter saluta.

10 Nescio quis rumor, falsus opinor et per malevolos, spargitur de te, qui incertus et incerto
autore ad me perlatus est; proinde ingenue moneo ipse circumspicias, quid nam suspicionis, qua
occasione de te permanet, at fontem eius mali ipse obstruas. Nam forte non quivis convictus a
suspitione alienus est. Non dubito ego, quin mulieri praeter uxorem nulli te adiungas familiarius.
Illud videto ne cui mulieri familiarius adhaesisse, vulgus argumentis non vanis confirmare queat.
Has vices et tibi delege, ut et me subinde moneas. Vale in Domino. Argent. 7 Aprilis 15[26].

Capito tuus.

15 Parrochium tuum ex me saluere iubeas et quid de homine spei habeas ad nos perscribito.